



Quaestiones  
de imaginum et translationum  
apud Sophoclem usu.

---

**Wissenschaftliche Abhandlung**

des

Gymnasiallehrers **Dr. E. Krichauff**

für

**das Oster - Programm**

des

**Königlichen Gymnasiums zu Lyck**

**1882.**

---

Lyck 1882,  
Druck von Rudolph Siebert.

1882. Progr. Nr. 12.

Questiones  
de imaginum et translationum  
apud Sophoclem usu.

Wissenschaftliche Abhandlung

von  
Herrn Dr. R. Krieger

aus dem  
Oster-Programm

der  
Königlichen Gymnasien zu Leipzig

1882

Verlag von  
H. W. Schmidt

Preis 1 Mark

## Quaestiones de imaginum et translationum apud Sophoclem usu.

Jam complures viri docti nostris temporibus exstiterunt, qui in colligendis digerendis definiendis quae apud singulos poetas reperiuntur, translationibus, imaginibus atque omnino comparationibus elaborarent. Imprimis dignae sunt, quae hic laudentur, quaestiones a viris illustribus E. Mueller, Schulz, Hoppe, Radtke aliisque de hac re institutae\*). Quorum e numero Schulze in libello, qui inscribitur „de imaginibus et figurata Aeschyli elocutione“ (progr. gym. Halberst. 1854) metaphoras Aeschyli composuit, quocum conferendus Tuch: de Aeschyli figurata elocutione (progr. Viteberg. a. 1869) quem librum nonnullis locis in usum meum converti. Hoppe (de comparationum et metaphorarum apud tragicos Graecos usu, progr. gym. Leucophaei Berolinensis, Berol. 1859) translationes ab avium natura desumtas, quae exstent apud Aeschylum, Sophoclem, Euripidem summa cura ac diligentia disposuit atque explicavit, quantum quidem scio ex eis, quae apud alios adnotata repperi. Jam vero G. Radtke (de tropis apud tragicos Graecos disser. inaug. Berol. 1865) postquam generatim et universe de origine, definitione, partitione troporum atque de usu disseruit, apud tragicos Graecos ex trium maxime rerum ambitu plurimas translationes petitas esse demonstrat, e venatione, agricultura, navigatione. Duobus annis post in programme Krotoschinensi (de tragicorum Graecorum tropis part. II. 1867) etiam translationes ex verbis nauticis et ex venaticis desumtas componere studuit, sed mea quidem sententia totam rem perstrinxit magis quam ad finem perduxit. Nam pauca tantum exempla proposuit, quae ne sufficiunt quidem ad fines totius rei recte constituendos, nedum ad unius cuiusque tragici usum peculiarem illustrandum. Neque Lueckius, qui nuper in progr. Neumark 1878 scripsit de comparationum et translationum usu Sophocleo rem confecit, nam, quantum equidem vidi, solas metaphoras ex agricultura, iumentis, plantis depromptas enumeravit ac percensuit.

\*) Doleo, quod commentationes, quas viri illi docti scripserunt, non omnes perlegi atque comparavi, propterea quod bibliothecam Regimontanam neque ipse adire neque libros, quos inspicere mihi in animo erat, inde mutuari potui.

Quae cum ita sint, equidem constitui denuo in rem inquirere atque ita quidem ut quo accuratior fieret, in exiguum compellerem disputationem. Translationum autem atque imaginum certum tantum genus eligere ac finibus quibusdam circumscribere ipsa earum natura nos cogit. Etenim si omnem sermonem humanum paulo diligentius spectaveris, tot eum metaphoris, quae non arte poetarum effictae sed naturali quadam lege profectae sunt, imbutum atque completum cognosces, ut si tollerentur non multum abesset, quin ipse sermo tolli videretur. Vis autem earum temporum decursu atque dicendi usu adeo minuta et attenuata est, ut a nullo iam sentiatur. Quam ob rem omnia ea vocabula, quorum principalis ac propria significatio, cum diuturnitate temporum magis magisque ab usu removeretur atque obliteraretur, ex ipsorum hominum memoria paulatim dilapsa est, non in medium proferam, sed eas tantum translationes persequar atque pertractabo, quae speciem quandam proprietatis dicendi habent, quas poeta sensu aliquo vel certo quodam consilio et arte quadem effinxisse existimandus est. Huc autem maxime pertinent metaphorae, quae reperiuntur apud Sophoclem e mari ac re navali petitae\*) atque imagines quae omnino ab eis rebus, quae in aere gignuntur velut venti tempestates nubes, ad hominum vitam et varias condiciones in quibus versantur, traductae sunt. Itaque omnes eas imagines atque translationes, quae in Sophoclis fabulis ad hoc genus referendae sunt, hoc libello colligere digerere explicare conabor; simul ubi vel ad sententiam vel ad dicendi usum illustrandum aptum videbitur exempla similia partim e ceteris tragicis Graecis partim ex aliis quibusdam Graecorum et Romanorum scriptoribus desumpta conferam.

Hoc dixerim de consilio quaestionis instituendae. De dispositione vero materiae prorsus cum Radtkio facio, qui perlustratis omnibus translationum partitionibus, quae fieri possent (dissert. p. 18 sq.) optimum duxit metaphoras ita digerere et ad genera sua revocare ut eas res spectaret, e quibus illae deductae essent. Ita enim, quae natura rerum coniuncta atque consociata sunt, etiam disputatione non separantur, sed invicem sese explicant atque illustrent.

Jam igitur eam distinguendi rationem sequar, ut primo capite disseram de imaginibus et metaphoris quae a mari et fluctibus procellis iactatis et omnino fluendi notionibus desumptae sunt, altero eas, quas e ventis depromptas repperi, tertio translationes a nubibus atque imbris deductas, quarto denique capite eas imagines et metaphoras, quae ad res navales pertinent, complectar atque persequar.

Priusquam autem singulas imagines et translationes et comparationes, quae apud Sophoclem inveniuntur, colligam ac percenseam, liceat mihi, quo facilius meliusque intelligantur, pauca praefari de comparationibus et quemadmodum poetae eis usi sint. Comparationes et imagines cum translationibus arcte cohaerere et tanquam cognationis quodam vinculo coniunctas esse constat inter omnes. Etenim uni cuique metaphorae, si originem eius atque naturam respicis, similitudo aliqua inest cum re, cui illustrandae inservit eamque ob rem nemini mirum videbitur, quod una cum translationibus etiam comparationes atque imagines, quibus Sophocles usus est, conquisiturus sum, praesertim

---

\*) cfr. Elimar Schwarz Dissert. inaug.: De metaphoris e mari et re navali petitis quaestiones Euripideae Kiliae 1878.

cum accedat, quod saepenumero in una eademque imagine comparationes cum metaphoris reperiuntur consociatae atque connexae, ut omnino ab his seiungi nequeant. Comparationes autem ac similitudines ita fiunt, ut res, quae narratur, particula comparativa cum alia re conferatur et uno vel paucis verbis aut imagine quadam latiore accuratius circumscribatur. Dividi autem optime mihi videntur eiusmodi comparationes et imagines in quattuor genera, quorum primum continet similitudines integras, quae factum aliquod vel rem vel personam in fabula prodeuntem re ex natura sive aliunde petita ita illustrent, ut totam sententiam vel sententiae partem efficiant et a particula comparativa incipiant. Frequentissimae sunt huius generis imagines apud epicis imprimis apud Homerum, apud tragicos poetas multo rarius inveniuntur. In *Electra* Sophoclis nobis occurrit eiusmodi imago v. 25\*) ubi paedagagum suum senem Orestes ut ei laudem tribuat, comparat cum equo nobili, qui quamquam multos iam annos agit, tamen in periculis animum non demittat sed potius alacriter aures erigat. Verba l. c. exstant haec:

ὅσπερ γὰρ ἵππος εὐγενής, κὰν ᾗ γέρον,  
 ἐν τοῖσι δεινοῖς θυμὸν οὐκ ἀπόλεσεν,  
 ἀλλ' ὀρθὸν οὐς ἴστησιν, ὡσαύτως δὲ σὺ

Alterum huius usus exemplum inveni Ant. v. 584 sq. quod infra in lucem vocabo atque pertractabo.

Multo frequentiores eae sunt apud Sophoclem imagines, quibus non plena enuntiatione imago explicatur, sed una tantum notio addita particula comparationis alteri illustrandae i. e. rei narratae inservit. Cuius secundi generis similitudinum exemplum sit O. R. v. 478 sq. ubi cum tauro, cuius vestigia venantium grex persequitur, Lai occisor per saxa ac silvas fugiens comparatur. Verba, quae ibi leguntur, haec sunt:

φοιτᾷ γὰρ ἐπ' ἀγρίαν  
 ἕλαν ἀνά τ' ἄντρα καὶ  
 πέτρας ἄτε ταῦρος.

Jam sequitur tertium genus similitudinum, quod tales imagines complectitur, quae cum re illustranda tam arcte connexae cohaerent, ut ipsae turbentur et lumina sive lineamenta, quae proprie ad imagines spectent, ad res illustrandas referantur, quo fit, ut translationes modo habituri essemus, nisi adesset particula comparativa. Praeclarum huius *συγκρίσεως* exemplum praebet locus in Ant. 112, ubi verba *ὑπερέπη* et *πέρουγι* ad ipsum Adrasti exercitum contra Thebas profectum ex imagine translata sunt. Similis generis sunt Ai. v. 168 sq. et El. 66. Ant. 1033. atque 531, ubi Creon Ismenam serpenti confert his verbis:

σὺ δ', ἢ κατ' οἴκουσ' ὡς ἔχιδν' ὑφειμένη  
 λήθουσά μ' ἐξέπινες.

Restat quartum genus imaginum in quo continentur exempla quae a similitudinibus et comparationibus eo tantum differunt, quod carent particula comparativa, semper autem aliquid in eis inest, quod aliquam similitudinem affert cum re proposita, sic Ai. v. 157 exemplo ab urbe oppugnata sumto chorus se sine Aiace nihil valere ostendere vult.

\*) In singulis versibus laudandis editiones Aeschyli Dindorfianam, Sophoclis et Euripidis Nauckianas sequar.

In eadem fabula v. 582 exemplum praebet a medico depromptum, quo Ajax Tecmessam docere studet, quomodo ad morbos sanandos incantationes nihil praebeant remedii, ita in calamitatibus lamentationes et gemitus nullius esse momenti neque quidquam ad eas removendas valere. Verba l. c. sunt haec:

*οὐ πρὸς ἰατροῦ σοφοῦ  
θρηγεῖν ἐπιδάς πρὸς τομῶντι τραύματι.*

Ut de usu denique comparisonum et similitudinum aliquid adiciamus imagines particula comparativa inductae latioribusque finibus circumscriptae imprimis ab eis adhibentur, qui magis tranquillo animo rem aliquam enarrant ac depingunt velut poetae epici ex quorum numero praecipue Homerus nominandus est. Contra poetae tragici, qui majore impetu feruntur ac vehementissimas animi perturbationes atque actiones hominum exprimere student coarctata illa et concitatore dicendi ratione utuntur quae maxime in metaphoris et in imaginibus, quae in alterum atque tertium genus similitudinum quod statuimus cadunt, posita est; multo minus frequentes sunt in amplioribus comparisonibus et imaginibus. Id ipsum cum in ceteros tragicos tum in Sophoclem quadrare atque valere exempla, quae examinaturus sum, docebunt.

Haec igitur praefatus iam ad rem ipsam, quae nobis proposita est, transibo ac primum quidem de imaginibus ac metaphoris, quas Sophocles e mari ac fluctibus qui ventis agitantur desumpsit, uberius disputabo.

## Caput I.

### De imaginibus et translationibus e mari ac fluctibus et omnino fluendi notionibus petitis.

Sophocles multas easque pulchritudine insignes imagines e mari ac fluctibus traduxit ad hominum sortem et conditionem tot vicibus agitatam et turbatam. Ac primo quidem aspectu certe mirandum, quot quantasque imagines et metaphoras Sophocles rebus maritimis et nauticis debeat. Nam sive de certaminibus loquitur sive de moribus hominum et animi perturbationibus sive de rebus adversis sive secundis, in quibus quis versatur, sive de statu quodam reipublicae agit sive communem et proverbialem sententiam profert tantum non ubique vela facere vel remigare iubet, ut ita dicam, non sine dominis arbitrisque undarum ventis, quos ut una recenserem arcta argumenti similitudo me movit. Nec tamen quoniam Sophocles Atheniensis fuit hoc amplius mirandum est reputantibus quam periti fuerint Athenienses rerum maritimarum, quantum polluerint mari, quam intimum eis commercium intercesserit cum Rhodiis Corinthiis ceterisque populis ad mare mediterraneum habitantibus.

Imprimis res adversae, quae homines torquent turbantque et ad perniciem perducunt atque omnino dubia et inconstans hominum fortuna non raro apud Sophoclem cum fluctibus tumentibus comparatur et procellarum imagine ut rei conveniens est, effingitur. Sic Ant. v. 583—588 ubi series malorum deinceps ortorum cum maris fluctibus confertur, qui vehementibus ventis Thraciis turbati primum submarinam caliginem percurrunt, deinde

ex fundo nigram provolvunt arenam et turbulentum limum. Tertium comparationis hoc est: si qua gens (Labdacidarum) malis divinitus immissis vexari coeperit, eius omnis posteritas exercetur calamitatibus, quemadmodum, quum mare procellis agitata fuerit, imus eius fundus perturbatur. Habemus h. l. exemplum similitudinis integrae, quae totam sententiam efficit. Ad hanc imaginem confer Verg. Georg 3. 240. „ima exaestuata unda verticibus nigramque alte subiectat arenam.“ Huc quoque referendus locus in Trachiniarum fabula v. 112—119, ubi verba sunt haec:

πολλὰ γὰρ ὅστ' ἀκάμαντος  
ἢ νότου ἢ βορέα τις  
κύματ' ἐν εὐρεί πόντῳ  
βάντ' ἐπιόντα τ' ἴδη,  
οὕτω δὲ τὴν Καδμογενῆ  
στρέφει, τὸ δ' αὖξει βιότου  
πολύπορον, ὥσπερ πέλαγος  
Κρήσιον.

Nauckius cum Reiskio et Hartungio comparato loco, qui exstat O. C. v. 1454, ubi *στρέφει* et *αὖξει* sibi opponuntur, lectionem libris traditam *τρέφει* mutavit in *στρέφει*, ad quod τὸ μὲν supplendum censet. Ac meo quidem iudicio rem acu, ut ita dicam, tetigisse videtur, nam si hanc coniecturam, quae est per se lenissima, accipimus, bonus sensus evadit, cum sententiae singulae recte sibi opponantur, oppositio autem propter imaginem quae verbis antecedentibus *κύματ' . . . βάντ' ἐπιόντα . . .* continetur, postulatur quae si efficitur, imago cum, re cui illustrandae adhibetur, bene congruit.

Sententia, quae l. l. subest, haec est: Quemadmodum in mari ventis perturbato fluctus fluctibus succedentes videmus, qui navem modo detrahere modo tollere videntur, ita Herculem agitare atque premere tot vitae labores dicuntur, quot sunt maris Cretici fluctus, eum modo affligentes (*στρέφει*) modo erigentes (*αὖξει*). Cf. ad h. l. Hor. Carm. 1. 26. 2. tristitiam et metus tradam protervis in mare Creticum portare ventis.

Quod ad vocabulum *πέλαγος* attinet quod l. c. scriptum videmus tragicorum Graecorum, quoniam e sola fere immensa amplitudine aequoris comparationem desumunt, propria est translatio illius vocis ad ingentem copiam atque magnitudinem praesertim malorum indicandam, ita ut ad eorum potissimum usum videantur spectare Hesychii verba: *πέλαγος μέγεθος, πληθος*. Hoc sensu *πέλαγος* omnibus locis, quibus metaphorice dicitur, apud Aeschylum et Euripidem semper usurpatur. Cfr. Herc. fur. v. 1086. sq., ubi chorus misericordia Herculis furentis concitatus haec exclamat: ὦ Ζεῦ, τί παῖδ' ἤχθηρας ὧδ' ὑπερκότως τὸν σὸν, κακῶν δὲ πέλαγος εἰς τόδ' ἤγαγες; significat igitur hic *πέλαγος κακῶν* conditionem Herculis miserrimam, malorum eius copiam fere infinitam. Prorsus eadem ratione legitur *κακῶν πέλαγος* Eur. Suppl. 824 et Eur. Hipp. 822, cfr. E. Schwarz l. l. Conferendum etiam est, quod occurrit: Aesch. Prom. 746 *πέλαγος ἀτηρᾶς δίης*. Sophocles apud quem omnino duobus tantum locis *πέλαγος* tralate dictum est, altero O. C. v. 662 sq. maxime respexit impedimenta et pericula, quae impatiens navium mare opponit iter maritimum facientibus (scilicet Thebanis Oedipum vi dolove ad se repetituris) verba sunt haec:

τῆς σῆς ἀγωγῆς, οἶδ' ἐγὼ, φανήσεται  
μακρὸν τὸ δεῦρο πέλαγος οὐδὲ πλώσιμον.

altero (ibid. v. 1746) usum Aeschyleum atque Euripideum secutus esse videtur, ut iam sit

e praecedenti voce *μόγος* ad *πέλαγος* mente supplendum *μόγων, πέλαγος μόγων* autem idem fere valere ac vulgare illud *πέλαγος κακῶν* certe nemo negabit.

Ad imagines ex Ant. 583 sq. et Trach. 111. sq. prolatas quibus homo, qui laboribus et malis maxime vexatur atque opprimitur, ita effingitur, ut in alto mari vehens fluctibus, qui ventis vehementissime flantibus admodum perturbati sunt, huc atque illuc iactetur et undis tanquam obrui videatur, conferendus est locus, qui exstat O. C. 1239 sq. ubi haec leguntur:

ἐν ᾧ τλάμων ὄδ', οὐκ ἐγὼ μόνος  
 πάντοθεν βόρειος ὡς τις ἄκτα  
 κυματοπλήξ χειμερία κλονεῖται,  
 ὡς καὶ τόνδε κατ' ἄκρας  
 δειναὶ κυματοαγ εἰς  
 ἄται κλονέουσιν ἀεὶ ξυνοῦσαι,  
 αἱ μὲν ἀπ' αἰθλίου δυσμῶν sq.

Comparatur igitur h. l. Oedipus, qui summis in angustiis et difficultatibus versatur, cum litore, (*ἀκτῆ*) quod septentrionem versus in mare procurrit et boreae maxime expositum ab omni parte qua tundi potest, fluctibus tunditur. — Calamitates enim dicuntur per metaphoram *κυματοαγῆς* i. e. fluctuum instar irruentes seu fluctus ac tempestates vehementes Oedipum nunquam non vexare atque tanquam ex quattuor plagis caeli i. e. ab omnibus partibus, quibus fieri potest, urgere.

In numerum translationum, quae ad undas, fluctus, marisque agitati strepitum spectant, praeter adiectivum *κυματοαγῆς* modo commemoratum imprimis referendum est vocabulum *Κλίδων*. — *Κλίδων* proprie significat fluctus, hinc semel tralatum est ad procellam equestrem in cursu quadrigarum: *κλίδων' ἔφιππον ἐν μέσῳ κυκώμενον* El. v. 733; deinde dicitur de infortunio hominem agitante:

εἰς ὅσον κλίδωνα δεινῆς συμφορᾶς  
 ἐλήλυθεν O. R. 1527. Verba dicta sunt de Oedipo.

Similiter atque *κλίδων* etiam vocabulum *ῥεῦμα* i. e. flumen agros percurrans metaphorice usurpatur; transfertur enim ad magnum flumen virorum, ut ita dicam, quem usum illustrant verba quae leguntur Ant. v. 129 *ῥεῦματι πολλῷ προσνισσομένους*.

Sermo est de exercitu Argivorum magna vi contra Thebas progrediente. Cfr. aptissimam comparisonem, quam Aeschylus effinxit in Pers. v. 88—91, ubi chorus ait: Persarum classem similem esse undis, quibus Graeci resistere non possint, quantovis virorum flumine (*ῥεῦματι φώτων*) eas exercere conantur. Similem in modum quo Sophocles *ῥεῦμα* vocabulum usurpavit, Euripides vocem *κίδων* traduxit ad belli tumultum, ad hostium copias se tanquam fluctus in cives effundentes. Sic dicit Iphig. Taur. v. 316 boum pastor de Oreste, qui animo recepto Taurorum affluentium manum agnovit:

ἔγνω κλίδωνα πολεμίων προσκείμενον.

Similis est ratio versuum 859 sq. Phoenissarum fabulae, ubi haec sunt Creontis verba: *ἐν γὰρ κλίδωνι κείμεθ' . . . δορός Δαναίδων*. Cum h. l. propter similitudinem rei quae intercedit comparare liceat Soph. Ant. 665, ubi *χειμῶν* translatum a tempestate dicitur de pugnantium procella *δορός (ἀντὶ τοῦ τῆς μάχης) τ' ἂν ἐν χειμῶνι προστεταγμένον*.

Saepius quam substantivum *ῥεῦμα* verbum *ῥέω* apud Sophoclem sensu metaphorico usurpatur et quidem ita, ut aut mutabilitatem ac fragilitatem generis humani et rerum



humanarum aut copiam et abundantiam rerum in qua quis versetur, significet, hoc tamen solum ad verbum compositum *περιρρέω* valet.

Sic in *Electra* v. 57 verba *τοῦ μὲν ὡς ἔρρει δέμας φλογιστὸν* fragilitatem corporis eiusque interitum indicant, sensus enim hic est: Quomodo unda diffluit ita etiam corpus hominis dilabitur vel dissolvitur flamma ad cineres redactum. Similiter *Oedipus* *Creontem* de *Lai* nece interrogat O. R. 560:

*ἄφαντος ἔρρει θανάσιμον χειρώματι;*

Ut de personis ita etiam de rebus ac notionibus abstractis verbum *ῥέω* usurpatum videmus velut *El.* v. 248, ubi *Electra* pudorem atque pietatem hominum perituram sibi finxit, si parentis occisi memoria obrueretur caedisque auctores impune ferrent facinus. Conferendus est O. R. v. 910: *ἔρρει δὲ τὰ θεῖα* et *Ai.* 1266, ubi *Teucus* loquitur de fugari et evanescente gratia his verbis usus: *φεῦ τοῦ θανόντος ὡς ταχεῖά τις βροτοῖς χάρις διαρρεῖ*. Similiter *Livius Andronicus* in *Aiacis* fabula *Sophoclem* secutus: virtuti laus praestatur, sed multo ocus ventu et gelu tabescit.

In *El.* v. 924 legimus: *τ' ἀκείνου δέ σοι σωτήρι' ἔρρει* quibus verbis *Electra Chrysothemidem* monet, ne spem salutis in *Oreste* ponat. O. C. 259 verbum *ῥέω* ad famam frustra sparsam ac divulgatam translatum est: *δόξης ἢ κληδόνος καλῆς μάτην ῥεούσης*. Inde facile fit transitus ad alteram significationem verbi *ῥέω*, quae maxime verbo composito *περιρρέω* continetur.

Verbum compositum *περιρρέω*, non de vanitate ac fragilitate rerum, sed de divitiis et lautitia vitae hominum dicitur, quod iam ex ipsa verbi compositione effeci facile quis perspiciet. Sic in *Electra* v. 362 vita hominis divitiis opibusque plena per metaphoram cum flumine comparatur, quod alveum excedens super ripas effunditur, verba sunt haec: *περὶ ῥεῖται βίος* i. e. *περισσός, διαφιλῆς ἔστω*. Latini similem in modum uti solent verbis redundare ac superfluere.

Jam ad reliquas metaphoras a maris et omnino ab aquae motu depromptas porro progrediamur. Reliquum est, ut de eis verbis dicamus, quae proprie ad strepitum maris referenda videntur. Quorum e numero verbum simplex *ῥοθεῖν* apud *Sophoclem* *Antig.* v. 259. 290 translate usurpatur. Nam cum proprie de maris murmurantis eiusque undarum fremitu dicatur, sensu methaphorico positum de murmure et omnino de sermone hominum rem secum communicantium. Quem usum illustrant verba *custodis* in *Antigonae* fabula v. 259 *λόγοι δ' ἐν ἀλλήλοισιν ἐρρόθουν κακοί* et *Ant.* 290 *ἀλλὰ ταῦτα καὶ πάλαι πλόεως ἄνδρες μὲν φέροντες ἐρρόθουν ἐμοί*, sunt verba *Creontis*, qui hoc dicere vult: sed in hunc modum iam dudum cives nonnulli aegre ferentes strepebant i. e. obmurmurabant mihi. Ex duobus his locis apparet in verbo *ῥοθεῖν* apud *Sophoclem* notionem quandam obloquendi vel ut accuratius dicam obmurmurandi significationem inesse. Similis vis cernitur in verbo composito *ἐπιρροθεῖν* (i. e. conviciis lacessere vel maledicere), quod occurrit *Soph.* *Trach.* v. 264: *ὃς αὐτὸν . . . πολλὰ μὲν λόγοις ἐπερρόθησε, πολλὰ δ' ἀτηρᾷ φρενὶ λέγων*; prorsus contrariam significationem idem verbum habet apud *Euripidem*, usurpavit enim hic poeta verbum solo sensu applaudendi et approbandi, id quod bene testantur singuli loci per se satis perspicui: *Or.* v. 901: *ἐπερρόθησαν δ' οἱ μὲν ὡς καλῶς λέγοι*. *Phoen.* v. 1238. cfr. *Schwarz* l. l. — Praeter *ἐπιρροθεῖν* apud *Sophoclem* verbum *ὀμορροθεῖω* uno tantum loco translate dictum reperitur: *Ant.* 536, ubi *Ismena* haec facit verba:

*δέδρακα τοῦργον, εἴπερ ἦδ' ὀμορροθεῖω*

h. l. idem valet ac *συμφωνεῖν* (concino).

Superest metaphora, quae non tam ab ipso mari agitato et iactato, quam ab eius colore videtur esse profecta. Dico translationem verbi *καλχαίνειν*. Nam cum mare concitatum purpureum esse (*καλχαίνειν*) antiquis videretur, primum illud verbum de undarum motibus, deinde metaphorice etiam de animo vehementer commoto usurpaverunt. Cuius usus singula exempla exstant apud Sophoclem et apud Euripidem. In Sophoc. Ant. v. 20 Ismena haec verba ad Antigonom facit: *δηλοῖς γὰρ τι καλχαίνουσ' ἔπος*. Manifestum est te animo sollicito dictum aliquod volvere vel meditari. Ad haec conferenda est Nauckii adnotatio. [Homerus pro *καλχαίνειν* verbum *πορφύρειν* metaphorice adhibuit (*πολλὰ δέ μοι κραδίη πόρφυρος κίοντι*)]. Similis ratio subest loco Euripideo, praeterquam quod verbum *καλχαίνειν* exhibet intransitive positum. Heracl. v. 40 Jolaus se Heraclidarum cura vexari atque animo sollicitum esse sic exprimit: *ἐγὼ μὲν ἀμφὶ τοῖσδε καλχαίνων τέκνοις*.

## Caput II.

### De imaginibus et translationibus e ventis depromptis.

Hae sunt imagines atque translationes, quas a mari eiusque fluctibus, qui procellis perturbati sunt, et fluminis undis deductas apud Sophoclem repperi. Jam ad eas metaphoras, quas poeta a ventis solis desumpsit, accedam.

Graves fortunae casus interdum procellae aequiparantur; huc refero quod legitur El. 1151 *πάντα γὰρ συναρπάσας θύελλ' ὅπως βέβηκας*. Electra repentinam Orestis mortem cum procella omnia rapiente comparat. Omnem laborem et operam, quam in educando Oreste posuerit, eo mortuo iam perisse dicit, eiusque sententiae hanc causam affert, quod illo perempto tota sit exstincta domus, ad quae cfr. Wunderum.

Nec tamen solum ad vitae et sortis hominum vicissitudines et ad calamitates, quae homines opprimunt et quasi submergunt, spectant imagines et metaphorae a mari et fluctibus atque ventis petita, sed translationes maxime a ventis depromptae pertinent etiam ad mentem atque animi motus ac perturbationes velut iram vel timorem ac terrorem, quibus mortales afficiuntur, plus significanter expriment. Animi autem motus quin magnam habeant similitudinem cum ventis ac tempestatibus nemo dubitabit, qui et ventorum naturam et animi perturbationes, quales sint, accuratius perspexerit. Etenim ut venti ac tempestates motu res, quae e terra gignuntur et animalia, quae vel in aere vel in mari versantur, agitant ac turbant, ita animi motus ac perturbationes homines vel concitant vel maxime perturbant atque corda eorum timore percellunt.

Ant. 137 describit Sophocles metaphora a ventis eorumque spiritu petita vehementem furorem et impetum, quem facit Capaneus in Thebas:

*βακχεῖων ἐπέπνει*

*ῥιπαῖς ἐχθίστων ἀνέμων.*

venti *ἐχθιστοί* dicuntur, quod urbi excidium minantur. Praebet hic locus non solum metaphoram a ventis sumtam, verum etiam exemplum prosopopoeiae, quam dicunt, quae oritur cum hominum persona habitus sensus rebus inanimis impertitur, sic l. l. ventis tanquam

animus infensus tribuitur, huic dicendi generi omnes fere rhetores propter egregiam vim et quod res quasi ante oculos ponit, primas in orationis poeticae suppellectili tribuunt. Cfr. Arist. Rhet. III, 11. init.

Praeterea hic propono Ant. v. 928:

ἔτι τῶν αὐτῶν ἀνέμων ῥίπαι

τήνδε γ' ἔχουσιν. Quae verba chorus facit de Antigona, cuius animus maxime concitatus est, poeta autem, ut hanc animi perturbationem gravius exprimeret et tanquam sensibus subiceret, imaginem a ventorum impetu et ictibus duxit. Confert Erfurdcius ad Ant. 137 Aesch. Sept. c. Th. 343 *μαϊνόμενος δ' ἐπιπνεῖ λαοδάμας Ἄρης*, quibuscum comparandum quod eiusdem fabulae v. 63 legitur: *πρὶν καταγίσει πνοὰς Ἄρεως*. Adscripsit praeterea Erfurdcius Eur. Phoen. 457: *σχάσον θυμοῦ προάς*, monet Jocasta Eteoclem, ut irae impetum et pugnandi (c. fratre) cupiditatem cohibeat atque coerceat.

Simili ratione in Soph. El. 610 verbum *πνεῖν* de animo ira concitato usurpatum est, dicit enim ibi chorus de Electra: *ὄρω μένος πνέουσιν*. Huc refero etiam verba, quae in Aiace v. 256 leguntur: *οὐκέτι λαμπρᾶς γὰρ ἄτερ στεροπᾶς ἄξας ὄξυς νότος ὥς λήγει*. Ad *οὐκέτι* ex antecedentibus *μαίνεται* mente supplendum videtur. Comparatur h. l. furor Aiace cum Noto vehementer flanti, cuius vis sine fulminibus i. e. postquam tempestas cum fragore ac fulminibus coorta destitit, cecidit. Quaeritur quomodo interpretemur *λαμπρᾶς γὰρ ἄτερ στεροπᾶς*, utrum metaphorice necne. Mihi de hac re etiam atque etiam cogitanti verba tralate dicta esse videntur ita, ut ad vehementem furoris vel irae Aiace impetum spectent, quo facto omnino tota animi concitatio mitigatur denique plane desinit. Eadem fere ratio, quae inest in animi motibus valet ad naturam ventorum, imprimis Noti. Etenim cum fulmina absint et tempestas finem ceperit, vehementes venti quoque placantur ac flare desistunt atque caelum serenum fit.

Wolfius lectionem quae l. l. libris tradita est, mutavit cum scriberet *λαμπραῖς γὰρ ἀπὸρ στεροπαῖς εἴξας νότος ὥς λήγει*, quae coniectura mihi non probabilis videtur esse, primum quod optima oppositio verborum *ἄξας* et *λήγει*, quam poeta haud dubie consulto effecit, tollitur illa mutatione, praeterea eam ob rem, quod metaphora vel imago non absoluta est, si coniecturam illam accipimus, neque enim apparet quae sint illa fulmina, quibus Notus vehemens cedat, neque verba sic mutata aliquam similitudinem cum Aiace afferunt. Equidem vero credere non possum Sophoclem l. l. solum motum aliquem naturae describere voluisse, cum hoc repugnet dicendi generi, quo poeta h. l. uti voluit. — Quibus causis commotus scripturam traditam servandam esse censeo, quam si retinemus, optima evadit imago. Verba autem *λαμπρᾶς . . στεροπᾶς* ex imagine referenda esse existimo ad fulmina irae Aiace, ut ita dicam, vel ad furoris impetum, quo antea in pecudum gregem irruit. Cum nostro loco conferenda sunt verba, quae exstant in Ibyci frg. I. 7. p. 761 *ἄπὸ στεροπᾶς φλέγων Θρηϊκίος βορέας*. Hic igitur aquilo ventus Thracius flagrare sub fulmine traditur, cum e contrario loco Sophocleo Notus fulmine absente mitigari et conquiescere dicatur. —

Cum Ai. 256 conferendus est eiusdem fabulae v. 207, ubi *χειμῶν* quod proprie significat hiemalem nimbum ac tempestatem, de insania Aiace iniquitate Deorum, velut repentinus nimbus, immissa dicitur: *Αἴας θολερῶ κείται χειμῶνι νοσήσας*. Est igitur de turbata Aiace mente sumpta locutio.

Simili modo ac nomen *χειμῶν* verbum *χειμάζειν* tralate usurpatur, sic Phil. 1460,

ubi verbo *χειμαζομένῳ* Philoctetes morbi impetu afflictus et turbatus significatur, eodem sensu metaphorice dictum est *χειμερίῳ λύπῃ* Phil. 1194. Agitandi et vexandi notio generalis inest in verbo *χειμάζειν* O. R. 101, ubi haec leguntur: *ὡς τόδ' αἶμα χειμάζον πόλιν. τόδε αἶμα* idem est atque *τοῦτον τὸν φόνον* Lai caedem significans. — Perterrendi significationem, quae facile ex illa priore notione deducitur, praebet in Ant. v. 391, ubi custos ad Creontem haec facit verba:

*ταῖς σαῖς ἀπειλαῖς, αἷς ἐχειμάσθην τότε.*

Apud Aeschylum usus vocis *χειμών* satis frequens est atque usurpavit hoc vocabulum maxime eo consilio, ut imagine procellarum res adversas et infortunia, quae homines turbant atque torquent, effingeret, cfr. Prom. 644, Ag. 649, Suppl. 167 et prae ceteris Choeph. v. 1063 *τρίτος αὐ χειμῶν πνεύσας γονίας*, ubi miseria ex familiae stirpe coorta intellegenda est. Similis est vis, quae inest in verbo *χειμάζεσθαι* cfr. Tuch. l. l. p. 3.

Hoc loco haud alienum mihi videtur esse in universum monere Aeschylum pro sua animi magnitudine et severitate studuisse imagines et metaphoras quam plurimas repetere ex procellis similibusque, quae maximos terrores animo iniciunt; contra Sophoclem saepius mitiore illo genere dicendi usum esse, cuius formam et speciem maxime in tragoedia, quae inscribitur Oedipus Coloneus, effinxit, gloriam suae ipsius patriae verbis exaggerans. — Exempla autem huius mitioris generis paulo post proponam ceteras imagines ac translationes quae a ventis petitae sunt, examinans atque perlustrans.

Habemus Ai. 674 imaginem, quae ad quartum genus imaginum referenda est, in quo, ut supra demonstravi, ea continentur exempla, quae eo tantum a similitudinibus differunt, quod carent particula comparativa, in quibus tamen semper aliquid inest, quod similitudinem affert cum re proposita. Legitur enim l. l. *δεινῶν τ' ἄημα πνευμάτων ἐκοίμισε στένοντα πόντον*. Vehemens igitur ventorum flatus sedat vel tranquillat mare procellarum vi ingemiscens i. e. turbatum ac strepitum faciens, quod ita intellegendum est, ut poeta dicat gravissimam tempestatem necessario sequi maris tranquillitatem. Aiax h. l. choro persuadere studet se Atridis dominantibus obtemperaturum esse atque eo consilio quattuor utitur exemplis probantibus ea quoque, quae magno robore ac vi praedita sint (ut ipse sit) secundum ordinem a natura institutum aliis cedere. cfr. Nauck. ad h. l. Ac primum quidem exemplum ab hieme, quae aestati cedit, sumptum est. Deinde transit poeta ad perpetuam ac necessariam noctis et diei vicissitudinem. Tum sequitur imago a vento marique ducta, quam antea explicavimus. — Imagini modo prolatae aliquo modo opposita est imago, quam repperi in Aiace fabula v. 1142; nam cum priore loco poeta de tempestate sedata locutus sit, h. l. de tempestate oriente agitur. Loco laudato rixa inter Menelaum et Teucrum orta est atque Menelaus ibi tali utitur exemplo, quo Teucrum movere studet, ut increpandi ac maledicendi finem faciat. Verba sunt haec:

*ἤδη ποτ' εἶδον ἄνδρ' ἐγὼ γλώσση θρασὺν  
ναύτας ἐφορήσαντα χειμῶνος τὸ πλεῖν  
ἔ φθέγμ' ἄν οὐκ ἄν εὖρες ἦνίξ' ἐν κακῷ  
χειμῶνος εἶχετ', ἀλλ' ὕφ' εἵματος κρυφείς  
πατεῖν παρῆχε τῷ θέλοντι ναυτίλων  
οὔτω δὲ καὶ σὲ καὶ τὸ σὸν λάβρον στόμα  
σμικροῦ νέφους τάχ' ἄν τις ἐκπνεύσας μέγας  
χειμῶν κατασβέσειε τὴν πολλὴν βοήην.*

Habemus h. l. rem ex accuratissime observata illorum locorum (in Graecia) natura comparationi adhibitam, in quibus sereno caelo repentinae parvis nebeculis exortis et gravissimae procellae erumpunt. Menelaus igitur hoc exemplo Teucrum admonere vult, ut conviciari desinat, quod si non faciat, minatur, ut ex versu 1160 elucet, Atreidas ei vim aliquando allaturos esse, ut ad officium reducant. Ad hoc haud dubie verba *χειμών κατασβέσειε* referenda sunt vel hoc poeta imagine illa exprimere voluit.

Hucusque eos tantum locos percensuimus, quibus poeta imaginibus vel metaphoris a ventis procellisque petitis res adversas atque imprimis animi perturbationes velut iram vel insaniam vel timorem, quae homines vexant atque cruciant, effinxit; nunc iam mitioris illius generis translationum, quod Sophoclem maxime adamasse atque excoluisse contendimus, complura exempla proponam ac primum quidem huc refero metaphoram, quae occurrit El. 479: *ὑπεστὶ μοι θρόσος, ἀδυπνόων κλίουσας ἀρτίως ὄνειράτων*. Quem locum Triclinius recte explicasse mihi videtur vocem *ἀδυπνόων* interpretans *εὐφροαντῶν ἡμῶν*. Sunt somnia dicta, quae amicos Agamemnonis suavi quadam aura afflant. Somnia igitur poeta similia sibi finxit ventis, qui blandi ac fausti sunt non Clytaemestrae somnianti, sed Agamemnonis amicis.

Non dissimiliter somnus dicitur *εὐαῆς* Phil. 828 *ἔπν' ὀδύνας ἀδαῆς, ἔπνε δ' ἀλγείων εὐαῆς ἡμῶν ἔλθοις*. Chorus nautarum Somnum tanquam deum invocat atque ex sphaera vitae suae, si ita dicere licet, imaginem depromit optans, ut somnus velut lenis ac placida aura Philoctetam capiat. Neoptoleum autem adhortatur, ut hac occasione oblata Troiam abeat.

Restat ut mentionem faciam loci quem repperi Ant. 353, ubi legitur *ἀνεμόεν φρόνημα*. Nauckius haec verba de mobilitate et volubilitate hominum animi et cogitationis dictum putat. Neque tamen prorsus ei assentiar, etenim non tam de mobilitate animi, cum semper vituperatione aliqua digna esse videatur, sed de celeritate consilii et omnino cogitandi adiectivum *ἀνεμόεις* usurpatum censuerim, nam poeta h. l. cultum ingenii et animi hominum non vituperare, sed potius laudibus efferre vult; ingenii autem ac mentis cultum ex cogitandi celeritate maxime apparere atque elucere, quis est qui neget.

### Caput III.

#### De translationibus e nubibus et imbribus petitis.

Neque tamen solum a mari eiusque fluctibus vel a fluminibus ac ventis similitudines duxit Sophocles, sed etiam ex imbribus atque nubibus, quas venti aut cogunt aut disiciunt, translationes petivit, quarum quidem quamquam perpaucae tantum exstant, tamen eas magnam praebere speciem suavitatis et elegantiae atque mitiori illi generi dicendi adscribendas esse nemo certe existet, qui negare audeat. Sic in *Antigona* v. 528 *νεφέλη* translate usurpatur de fronte (Ismenae) nube tristitiae contracta: *νεφέλη δ' ὀφρύων ὑπερ αἱματόεν ῥέθος αἰσχυνει*. Deinde pulchre eadem nubes quasi lacrimarum imbre genas spargere statim dicitur *τέγγουσ' εὐῶπα παρειάν* felicissime et elegantissime continuata imagine.

Nauckius haec verba bene in linguam vernaculam transtulit „eine Wolke (düstern Schmerzes) lagert über ihren Brauen und entstellt ihr hochglühendes Antlitz, (mit einem Thränenstrom) netzend die (sonst) lieblich anzuschauende Wange. Conferas c. l. l. Hor. Ep. 1. 18. 94 deme supercilio nubem. Antiphanes Com. 3. p. 197 τὸ προσὸν νῦν νέφος ἐπὶ τοῦ μετώπου. Eur. Hipp. 173 στῦγρον δ' ὀφρύων νέφος ἀΰξνεται. Simili modo iam dictum est apud Homerum Il. 17. 591. τὸν δ' ἄχθος νεφέλη ἐκάλυψε μέλαινα, sermo est de Hectore, quem Apollo ad fortiter pugnandum cohortatur. Aliam translationem vocis νεφέλη habemus Trach. 831, ubi haec: εἰ γὰρ σφες Κενταύρου φονία νεφέλα χρίει δολοποιδὸς ἀνάγκα. φονία νεφέλα interpretor vestem textilem atque cum Nauckio consenserim, qui verba ita explicat: Die φονία νεφ. ist die verderbliche Umhüllung mit dem Peplos, die den Hercules umfängt gleich einer das Licht raubenden Wolke. — Totus igitur locus de morte Herculis intellegendus est. Conferas, quod apud Homerum legitur θανάτοιο μέλαν νέφος, qua cum locutione l. l. aliquam habet sensus similitudinem. Sic dicit Od. δ. 180 Menelaus πρὶν γ' ὅτε δὴ θανάτοιο μέλαν νέφος ἀμφεκάλυπεν. cfr. Il. II. 350. Haec dictio certe inde profecta est, quod ei, qui mortem obeunt, vel maxime ei quibus in pugna mors infertur, oculis tanquam caliginosa nube obductis animam efflant.

O. R. 1313 vocabulum νέφος transfertur ad caecitatem significandam: ἰὸ σκότου νέφος ἐμὸν ἀπότροπον ἐπιπλόμενον i. e. caliginis meae nubes abominanda, neque ulla alia vox magis accommodata videtur ad caecitatem exprimendam ac depingendam.

Apud Euripidem νέφος omnino de omni re superinducta usurpatur: τοῖον Ἑλλάνων νέφος ἀμφὶ σε (Τροίαν) κρύπτει Eur. Hecub. 890. νέφος οἰμωγῆς Med. 107. — Praeterea hic commemoratione digna sunt verba Electrae: El. 1740 ἀνέφελον ἐνέβαλες οὔποτε καταλύσιμον... κακόν sermo est de malo (i. e. de caede Agamemnonis), quod proprie nubibus non velatum est i. e. manifesto in lucem editur. Scholiasta explicat: φανερόν ἀνακαλυμμένον. Denique huc refero O. R. 1276 sq. ubi Sophocles imaginem duxit ab imbris et grandine. Verba quae ibi leguntur sunt haec:

φοῖναι δόμοῦ  
 γλῆναι γένει ἔτεγγον, οὐδ' ἀνίσταν  
 φόνου μιδώσας σταγόνας, ἀλλ' ὁμοῦ μέλας  
 ὄμβρος χαλάζης αἱμάτων ἐτέγγετο.

Neque mittebant oculi guttatim humidum cruorem, sed confertus imber sanguineae grandinis profundebatur. Adhibet poeta hoc loco hanc locutionem metaphoricam, quo melius ac significantius summum atque gravissimum sanguinis fluctum, qui ex oculis Oedipi perforatis efficitur, exprimat atque effingat. Similiter Seneca Oedip. 978 sq. Rigat ora foedus imber et lacerum caput largum revulsis sanguinem venis vomit.

Haec sunt, quae de metaphoris e nubibus et imbris petitis dixerim. —

Jam vero omnibus locis, quibus Sophocles imagines ac translationes a maris rationibus atque a ventis ac nubibus mutuatus est, pertractatis, ab elemento illo totius navigationis progredi licet ad ipsam artem navigandi, quae et ipsa pluribus imaginibus ac metaphoris exprimendis inservit. Quas proferam atque accurate exponam capite insequenti, quo omnino acturus sum.

## Caput IV.

### De imaginibus et translationibus a re navali sumptis.

Ac primum quidem eas imagines ac translationes, quae ad singulos homines pertinent, percensebo, deinde de eis locis, quibus tota quaedam societas hominum i. e. res publica navis vel naufragi hominis imagine illustrata est, disputabo.

Jam a generalibus quibusdam navigandi notionibus ad locutiones magis speciales progredientes primo loco eas metaphoras, quae ad navis cursum spectant, quibus ipsius navigationis imago subiecta est, perlustremus.

Huc pertinet: El. 335 *νῦν δ' ἐν κακοῖς μοι πλεῖν ὑφειμένη δοκεῖ*. Demissam sese in malis et potentioribus parentem vivere ait Electra, quasi contractis s. pressis velis navigantem. Itaque ei, qui angusta et sollicita sorte utuntur, cum eis comparantur, qui velis contractis velut in tempestate navigant. Habemus h. l. translationem, quae ad vela spectat, quam, quoniam cum navis imagine eiusque cursu artissime cohaeret, statim hic placet adiungere. Cuius generis exempla apud Euripidem plura inveniuntur. cfr. E. Schwarz pag. 40 § 11. Cum loco ex Electra allato conferenda sunt, quae leguntur Soph. Ant. v. 715 sq.

*αὐτως δὲ ναὸς ὅστις ἐγκρατῆ πόδα  
τείνας ὑπέικει μηδὲν, ὑπτιοῖς κάτω  
στρέψας τὸ λοιπὸν σέλμασιν ναυτίλλεται.*

Hoc quoque loco nobis proposita est imago a velis deducta, quod indicant verba *ναὸς ὅστις ἐγκρατῆ πόδα* significantia gubernatorem, qui navem firmiter veli pede astrinxit. Sensus totius loci hic est: Haemon hoc exemplo (Gleichnis), quod a navigatione vel a nave velis passis vehente sumtum est, demonstrat nautam, qui nunquam procellae cedens vela dat ventis, transtris resupinis navigaturum. Verba *ὑπτιοῖς . . . ναυτίλλεται* cum ironia quadam dicta sunt, qua dicendi ratione poeta ideo usus est, ut significaret nautam illum temerarium navem eversurum esse. Quod autem ad consilium attinet, quo Haemon hoc exemplum adhibuit, patrem Creontem eo movere studuit, ut iram remitteret ac lenitudine Antigonom tractaret, ne ad interitum rueret, ut illa navis eiusque gubernator. Pertinet hoc exemplum ad quartum genus imaginum, quod supra constituimus atque inest figura, quae a Graecis dicitur *ἀλληγορία*, quam Quintilianus lib. VIII cap. 6 hoc modo definit: *ἀλληγορία* quam inversionem interpretamur, aliud verbis, aliud sensu ostendit, quod in locum Sophocleum cadere nemo non intellegit. Eiusdem figurae dicendi exemplum praebet Soph. Ant. 474 — 478. Ad haec cfr. P. Gross. p. 121 ff. Die Tropen und Figuren, ein Hilfsbuch an höheren Lehranstalten. Köln 1881.

Conferre licet ad Ant. 715. Eur. Or. v. 704, ubi a Menelao ad Orestem dicta sunt haec: *καὶ ναῦς γὰρ ἐνταθεῖσα πρὸς βίαν ποδὶ ἔβαυεν, ἔστη δ' αὖθις, ἦν γὰρ πόδα*. Menelaus h. l. Orestem certiore facit se Tyndareo et populo persuadere conaturum esse, ut moderate ira in Orestem utantur. Nam navigium quoque fortius veli pede astrictum aqua mergi, pede vero relaxato rursus emergi. Quo exemplo studet comprobare, nimio studio vel vi causam Orestis non tantum non proficere, perverti etiam. Huius loci igitur eadem fere ratio

ac sententia est atque Sophoclei, vide quae praeterea ad hunc locum adnotavit E. Schwarz l. l. pag. 41.

Praeter locos modo laudatos huc pertinet Ant. 541 ἀλλ' ἐν κακοῖς . . . ξύμπλον ἐμαντήν τοῦ πάθους ποιουμένη, quibus verbis Ismena declarat se non pudere consortem ac participem fieri malorum, quibus soror prematur. Habemus igitur h. l. imaginem e navigatione petitam, qua poeta simul indicare vult eis, qui navigent vel ut accuratius dicam illius navigationis participes fiant, si ita loqui licet, multa pericula atque calamitates imminere. Eadem imago subiecta est Eur. Herc. fur. v. 1225 συμπλεῖν δὲ τοῖς φίλοιςιν δυστυχούσιν οὐ, quae verba Theseus ad Herculem facit declarans se odisse gratiam amicorum senescentem et eum, qui bonis quidem rebus frui velit, sed non una navigare cum amicis infelicibus. Ut loco ex Sophocle allato ξύμπλον, sic hoc quoque loco verbum συμπλεῖν generalem societatis notionem exprimit. Subiungo etiam Iphig. Taur. v. 599 sq., ubi Orestes, ut comprobet sese non Pyladem sacrificandum esse, haec dicit: ὁ ναυστολῶν γάρ' εἰμ' ἐγὼ τὰς συμφορὰς· οὗτος δὲ συμπλεῖ τῶν ἐμῶν μόχθων χάριν.

Nec solum pericula atque calamitates, in quibus homines versantur, imaginibus ac translationibus a navigatione depromptis effingi solent, verum etiam spes vel minae vel curae vel dolores vel omnino cogitationes hominum nonnunquam eis illustrantur. Huc maxime referendae sunt metaphorae, quas Sophocles a remigando mutuatus est. Sic legimus Ant. 159 τίνα δὴ μῆτιν ἐρέσσω. Chorus dicit se conspiciere Creontem regem accedentem ac novum aliquod consilium molientem vel cogitationem aliquam animo volventem. ἐρέσσω, quod proprie significat remigare h. l. metaphorice dictum idem fere valet atque animo volvere et agitare, quae significatio certe ab iterati vel continui motus notione, quae cernitur in remigando, profecta est.

Bergkii lectionem ἐρέσσω codicibus servatam mutavit in ἐλίσσω haud dubie verba, quae Ant. v. 231 custos facit τοιαῦθ' ἐλίσσω respiciens, quae coniectura, quamquam primo aspectu probabilitatis speciem prae se fert, tamen nullo modo necessaria mihi videtur, primum quod scriptura libris tradita satis facile ac bene, ut supra demonstravimus, explicari potest, deinde quod verbum ἐλίσσω aequae atque ἐρέσσω proprie de celeri remorum agitatione usurpatur, quem usum probat Ai. 357 ἐλίσσω πλάταν. Quam ob rem nihil obstat, quin utrumque verbum similem in modum translationi inserviat neque opus est alterum pro altero ponere. Quae cum ita sint, non video, cur lectionem ἐρέσσω non retineam.

Significationem paulo diversam praebet verbum ἐρέσσω Ai. v. 251, ubi haec dicta inveniuntur: τοίας ἐρέσσουσιν ἀπειλὰς δικρατεῖς Ἀτρεΐδαι. Metaphora h. l. non solum a movendi notione derivanda videtur, verum etiam ad notionem quandam patefaciendi revocanda quam huic verbo subesse nemo, qui artis remigandi peritus est vel qui remigantes diligenter consideraverit, concedere dubitabit. Hac autem re differunt inter se verba ἐρέσσειν et ἐλίσειν quod hoc illius significationem modo prolatam non habet.

Praeter verbum simplex ἐρέσειν etiam verbum compositum *συνηρετεῖν* apud Sophoclem uno loco tralate dictum reperitur: Ai. 1328. Ulixes ad Agamemnonem haec facit verba:

ἔξεστιν οὖν εἰπόντι τὰληθῆ φίλῳ  
σοὶ μηδὲν ἦσον ἢ πάρος *συνηρετεῖν*;

Verbum *συνηρετεῖν* a propria significatione una remigandi per translationem in notionem magis generalem concinendi et conveniendi transiit. Idem cadit in verbum



ὁμοῖοθθῆν in Ant. 536. ὁμοῖοθθῶ καὶ ξυμμετίσχω. Videtur autem is usus metaphoricus horum verborum ad concentum remorum a compluribus remigibus tractatorum referendus. Restat ut verbo perstringam vocabula ἐπιρρεῖν et ἐπιρρέτης, in quorum metaphoris principalis vis remigandi magis etiam quam in translationibus modo allatis obscurata ne dicam prorsus perdita est. Etenim haec verba, quibus subest propria vis sub gubernatore remigandi apud scriptores Graecos saepissime inveniuntur vulgari ministrandi vel adiuvandi notione. Quae res cum admodum trita ac perspicua sit, supervacaneum esse mihi videtur singulos versus, quibus vocabula illa apud Sophoclem tralate dicta continentur afferre, facile eos reperies apud Frid. Ellendt lex. Soph.

Superest usus metaphoricus verbi σαλεύειν obiter commemorandus. σαλεύειν proprie de nave dicitur, quae in mari alto modo huc modo illuc iactatur. Deinde ad homines transfertur, qui dolore ac maerore agitantur atque turbantur. Sic Electra El. v. 1063 de patre gemens vacillare dicitur: πρόδοτος μόνα σαλεύει Ἥλέκτρα τὸν αἰὶ πατρὸς δειλαία στενάχουσ'. Praeterea huc pertinet O. R. 22 de quo tamen postea accuratius agendum erit.

Postquam igitur hucusque imagines ac translationes, quibus poeta hominem in vitae navi, venia detur huic locutioni, fluctibus malorum atque procellis modo huc modo illuc iactatum et imbris paene obrutum effinxit, percensuimus, relinquatur ut eum etiam portum intrare sinamus. Itaque navigia ex alto ad litus reducenda curemus easque perlustremus metaphoras, quae imaginem navis appulsae vel in portum tutum invectae vel ipsius portus contineant.

Ad litoris appulsum figurate dictum spectat verbum κατέχειν, cuius tamen usus unum tantummodo exemplum repperi. Exstat El. 501 εἰ μὴ τόδε φάσμα νυκτὸς εὖ κατασχέσει. Hoc igitur loco κατέχειν audaciore figura ad eventum somnii traductum videtur. Ad sensum cfr. quae ad El. v. 479 adnotavi. —

Jam sequatur ipsius portus imago, cuius altera ratio est, ut quodvis illustret receptaculum et perfugium, qui usus, ut notum est, saepenumero etiam apud Latinos et nostrates invenitur. Sic in Aiace v. 682 sq. legimus: τοῖς πολλοῖσι γὰρ βροτῶν ἄπιστός ἐσθ' ἑταιρείας λιμῆν. Vocabulum λιμῆν a loci sepositi et tuti significatione deflexum h. l. perfugii notionem adsciscit, dicere enim vult poeta: cum plerisque hominibus amicitiam neque firmam neque tutam intercedere, sed saepissime perfidiam exstare ac proditionem fieri. Cum nostro loco conferendus Eur. Med. v. 768 sq. ubi Medea Aegeum audaciore translatione usus portum consiliorum suorum appellat, quia ex eius verbis magnam in spem venerat, fore, ut post caedem perpetratam tutum sibi refugium praeberetur Athenis. Verba sunt haec: οὗτος γὰρ ἀνὴρ . . . λιμῆν πέφανται τῶν ἐμῶν βουλευμάτων. Refugii significationem habere vocabulum λιμῆν tralate usurpatum luce clarius etiam apparet ex Aesch. Suppl. v. 771, ubi rex Argivorum uberiore imagine a navigatione sumpta usus queritur sibi nullum exstare portum malorum: κοῦδαμοῦ λιμῆν κακῶν

Huc refero etiam O. R. 1208 ubi λιμῆν audacissime dictum est de matrimonio: ἰὼ κλεινὸν Οἰδίπου κἄρα, ᾧ γάμον λιμῆν αὐτὸς ἤρκεσεν παιδὶ καὶ πατρὶ θαλαμηπόλῳ πεσεῖν; Haec verba de Jocasta suo filio nupta intellegendum esse manifestum est. In lectione l. l. libris tradita, quae non ab omni parte sana ac recta videtur, equidem pro vocabulo μέγας, quod codices tuentur, cum haud dubie corruptelae attribuendum sit, scripsi γάμον quam coniecturam satis speciosam et maxime probabilem proposuit Heimsoeth Krit. Stud. I. p. 83 ff. Illud μέγας enim quomodo sit bene intellegendum, prorsus non apparet nec λιμῆν vocabu-

lum per se solum positum, quid sibi velit, satis perspicuum est, contra si coniungitur cum voce γάμον, statim bonus sensus efficitur. Denique accedit quod mutatio Heimsoethii lenissima est, quibus de causis non dubitaverim, quin cum Nauckio eam coniecturam in textum recipiam. Cur autem vir ille doctus pronomen relativum ζ̄ mutaverit in πῶς non video, cum optime ferri atque explicari possit. E contrario pronomini interrogativo πῶς quominus accipiamus, repugnare mihi videntur ea quae sequuntur, πῶς ποτε, πῶς ποθ' αἱ πατρῶαι δ' ἄλλοιες φέρειν. Nam his demum verbis chorum interrogare consentaneum est, quomodo fieri potuerit, ut quem puerum sinu gestavisset mater eundem etiam maritum amplexa sit, in antecedentibus autem chorus, ut rei conveniens erat, scelus ipsum ab Oedipo factum sibi ante oculos posuit, quod quamquam etiam sententia interrogativa efficere potuit, tamen enuntiatione relativa interiectioni λὼ κλεινὸν . . . subiuncta melius expressit. Accedit quod si hoc quoque loco pronomine interrogativo uteremur, sententiae interrogativae nimis cumularentur.

Eadem imago atque loco modo explicato subiecta est verbis quae Tiresias in eadem fabula v. 422 sq. ad Oedipum facit: τὸν ἑμείναιον, ἐν δόμοις ἄνορμον εἰσέπλευσας, εὐπλοίας ευχών. Ἑμείναιος vocabulum proprie significat carmen nuptiale, inde ad nuptias tractum est. Comparat igitur Sophocles Oedipi nuptias infaustas fausta spe cum Jocasta initas cum portu vel litore importuoso, ad quod prospera navigatione facta nisi cum magno detrimento non appulerit. Praeterea adnotanda est hoc loco figura oxymori, cum ἑμείναιος, si ad imaginem referimus, tanquam portus vice fungatur, quae notio adiectivo sequenti ἄνορμος plane tollitur. Prorsus similis ratio est loci Eur. Cycl. v. 348 sq., ubi Ulixes Cyclopolis animum durum asperum cum litore importuoso (ἀλίμενόν τε καρδίαν) comparat. Paulo aliter atque loci modo prolati interpretandus est O. R. v. 420 βοῆς δὲ τῆς σῆς ποῖος οὐκ ἔσται λιμὴν. Etenim h. l. λιμὴν non tam perfrugium quam omnino locum, qui circumclausus ac sepositus est, significare videtur. Hoc etiam verba quae sequuntur, indicant ποῖος Κιθαιρών. Itaque intellegendos esse censeo convalles locos ad clamorem Oedipi resonantes.

Nec solum receptaculi significationem praebet vox λιμὴν ut locis modo pertractatis, verum ex altera ratione portus, cum ex omnibus regionibus profectae naves in eum confluant omnino per metaphoram apud Graecos notionem eius loci expressit, quo rerum copia undique congeritur. Cuius translationis exemplum luculentissimum exstat Eur. Or. v. 1077: μέγας πλούτου λιμὴν, idem fere legitur Aesch. Pers. v. 250. Ex Sophoclis fabulis huc pertinere existimo. Ant. v. 1000:

εἰς, γὰρ παλαιὸν θᾶκον ὄρνιθοσκοπὸν  
ἕζων ἔν ἧν μοι παντὸς οἰωνοῦ λιμὴν.\*)

Comparat igitur Tiresias cum portu locum, in quem aves auspicantes convenire solent, quo ipse auguria capere consuevit.

Denique etiam orcus cum portu comparatur in Ant. v. 1284, ubi Creon exclamat: ἰὼ ἰὼ δυσκόθατος Αἴδου λιμὴν. Musgravius de Antigoniae sepulcro lapide strato scele-  
reque inde contracto dici putat. Sed aliter ac meo quidem iudicio rectius interpretatur Hermannus. Portum necis difficilem ad purgandum propter caedem caedi succedentem,

\*) Hunc locum ab Ellentio lex. Soph. s. v. λιμὴν non allatum esse, valde miror.

ut finis nullus occidendi inveniatur cfr. quae Nauckius adnotavit et locos quos comparationi adhibuit: Stob. Flor. 120. 11 πάντων λιμῆν τῶν μερόπων ὁ θάνατός ἐστιν. Leonidas Anth. Pal. 7. 452 κοινὸς πᾶσι λιμῆν Ἀίδης, his quoque locis eo adducor, ut Hermanni interpretationem solam rectam esse arbitrer.

Reliquum est ut hic breviter adnectam duos locos, quibus imago a naufragio ducta est. Neque enim omnes homines, qui navigationem faciunt, in portum perveniunt, sed non pauci inveniuntur, qui medio cursu naufragio pereant. Ex hac quoque re a poetis imagines ac translationes petitas esse non mirandum, si ea quae in capitibus I, II atque IV disputata sunt, respicimus. Cuius generis alterum exemplum repperi in Electra v. 729, ubi occurrit metaphora a naufragio ad certamen equestre traducta: ἐπίμπλατο ναυαγίων Κρισαῖον ἰππικῶν πέδον. ναύαγια, quae proprie naufragia significant a nave fracta transferuntur ad curruum contritorum reliquias, quae in certaminis campo tanquam in mari stratae sunt. Continuatur imago sequentibus versibus γρούς δ' οὐξ Ἀθηγῶν δεινὸς ἠριστρόφος . . . . κἀνακωχέυει παρῆς κλύδων' ἔφιππον ἐν μέσῳ κυκώμενον. Ἀνακωχέυειν, quod est verbum a nautis depromptum, qui navem in alto mari ad ancoras deligant, Sophocles h. I. a navigatione ad cursum quadrigarum transtulit et usurpavit de equis, quos inhibet peritissimus auriga Atheniensis, ut sinat praetervehi procellam equestrem in medio stadio aestuantem.

Alter locus quem in animo habeo, exstat Ai. 351 ἴδεσθέ μ' οἷον ἄρτι κῆμα φοινίας ὑπὸ ζάλης ἀμφίδρομον κυκλεῖται. Quo loco Ajax non cum navi ut interpretes volunt, sed cum naufrago homine se comparat, κῆμα autem ad cruorem occisarum pecudum, inter quas medius sedebat, ζάλην quod proprie „turbo“ significat ad insaniam, qua correptus caedem illam ediderat, referendum.

Haec sunt quae dicenda mihi visa sunt de imaginibus et translationibus e re navali sumtis, quibus singulae vitae humanae rationes et conditiones describuntur vel depinguntur atque tota vita navigationis instar adumbrata est. Jam restat ut in eas locutiones inquiramus, quibus notissima illa reipublicae cum navigio comparatio subiecta est, cuius usus dicendi exempla multo rarius inveniuntur apud Euripidem quam apud Sophoclem atque Aeschylum qua de re vide Schwarz l. I. pag. 50.

Ac primum quidem proponam O. R. v. 922 sq., ubi gubernatoris nomine reipublicae rector appellatur. Jocaste ibi de Oedipo dicit: ὡς νῦν ὀκνοῦμεν πάντες ἐκπεπληγμένον κείνον βλέποντες ὡς κυβερνήτην νεώς. Cfr. Eur. Suppl. v. 879 πόλις κακῶς κλύουσα διὰ κυβερνήτην κακόν. Ad eandem comparationem spectat methaphora verbi ναυκληρεῖν Ant. v. 994 τοιγάρ δι' ὀρθῆς τήνδ' ἐναυκλήρεις πόλιν. Eadem translatio occurrit Aesch. Sept. v. 652. His igitur locis gubernandi nomen a navi ad rempublicam gerendam vel urbem administrandam traductum est. Eadem imago subiecta est: O. R. 695 sq: ubi Chorus Oedipum hoc modo laudat:

ὅς γ' ἐμὴν γὰρ φίλαν ἐν πόνοις  
σαλεύουσαν καθ' ὀρθὸν οὐρῖσας.

Καθ' ὀρθὸν οὐρῖσας significat vento secundo sive prospero cursu direxisti i. e. servasti. Loquitur enim poeta de republica, ut de navi, quam gubernavit et in pristinum statum restituit Oedipus. Similem in modum urbs ipsa cum navigio comparatur Ant. v. 162:

ἄνδρες, τὰ μὲν δὴ πόλεος ἀσφαλῶς θεοί,  
πολλῷ σάλῳ σείσαντες, ὤρθωσαν πάλιν.

*σάλος* proprie significans maris iactationem ad rempublicam undis civilibus ut ita dicam. i. e. periculis concussam translatum est. *σαλεύειν* verbum proprie dicitur de navibus, quae iactantur. Comparatur igitur civitas in summas angustias atque pericula adducta cum navī quae in alto mari tempestatibus huc illuc iactata est, deinde ad ancoras deligata atque restituta est. Eandem imaginem subesse O. R. 22 sq. nonnulli editores scholiastam secuti contenderunt. — Leguntur enim haec:

πόλις γάρ, ὡσπερ καὶ τὸς εἰς οὐρᾶς, ἄγαν  
ἤδη σαλεύει, κἀνα κουφίσαι κἀρα  
βυθῶν ἔτ' οὐχ οἷα τε φοιρίου σάλου,

Neque tamen prorsus cum eis consenserim propter vocem *κἀρα*, quae certe non ad navem sed non nisi ad personam referenda est, nam qua alia ratione hoc vocabulum sit explicandum non perspicio. Praeterea iam supra El. v. 1074 verbum *σαλεύειν* de persona (Electrae) usurpatum invenimus, quibus causis commotus statuerim Thebanorum civitatem vel urbem peste oppressam h. l. non tam cum navigio quam cum naufrago homine conferri, qui fluctibus ac ventis valde agitur atque obrui videtur.

Contra ad imaginem, quam O. R. 695 et Ant. 162 expressam habemus, referenda sunt quae, leguntur Ant. 189 sq.:

ἣδ' ἐστὶν ἡ σώζουσα καὶ ταύτης ἐπι  
πλέοντες ὀρθῆς τοὺς φίλους ποιούμεθα.

Huc spectat, quod Cicero dicit ad Fam. XII. 25: „una navis est iam bonorum omnium, quam quidem nos damus operam, ut rectam teneamus. Cf. Wunderi adnotationem.

Jam ad finem disputatinuculae pervenimus, restat enim unus tantum locus, Ai. 1081 sq. quo rursus imago a navigio sumta oculis nostris subicitur. Verba sunt:

ὅποι δ' ὑβρίζειν δρᾶν θ' ἄ βούλεται παρῆ,  
ταύτην νόμιζε τὴν πόλιν χρόνῳ ποτὲ  
ἐξ οὐρίων δραμοῖσαν ἐς βυθὸν πεσεῖν.

Sophocles hanc uberiorem metaphoram proponens haec docere vult: Quomodo navis, quae secundis ventis e portu exierit, cum rudes gubernatores eam ex libidine regant neque cursum teneant, fluctibus obruta in fundo maris intreat, sic civitatem quoque, in qua leges non valeant, sed quisque rem, quae sibi placeat, agere possit, etsi initio floreat, aliquando perituram esse.